3

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

CVM

SENATV

SACRA PASCHALIA

PIE CELEBRANDA

CIVIBVS INDICIT.

Inest Commentarii Noui Critici in Versiones Veteres Prouerbiorum Salomonis

SPECIMEN TERTIVM.

GOETTINGAE,

TYPIS JO. CHRIST. DIETERICH

MDCCXCIII.

S. Venerabili Griesbachio
S. D. P.
Schleusner

urn:nbn:de:urmel-70354675-135e-4099-9650-b551f4c72264-00020683-011

urn:nbn:de:urmel-70354675-135e-4099-9650-b551f4c72264-00020683-029

COMMENTARII NOVI CRITICI

IN

VERSIONES VETERES

PROVERBIORVM SALOMONIS

SPECIMEN III.

CAPVT VII.

Nouas addit in hoc capite Auctor noſter ſuperioribus (in quibus turpitudinis et damni furti cum ignominia et damno adulteri elegantem inſtituerat comparationem, hoc conſilio vt illo hoc longe maius eſſe oſtenderet) admonitiones, maxima illa et grauiſſima crimina ſpectantes, fornicationem et adulterium, de quibus nunquam ſe ſatis dixiſſe putauit Salomo pro leuitate hominum et ſtudio rerum ſenſibilium, quibus trahi maxime ſolet inuentus, ac meretricum impudentia. Vſus vero eſt ad hanc rem pro more illorum temporum inde a commate ſexto vsque ad comma viceſimum tertium narratione, quam, ſiue fictam eam eſſe et ingenio poetae deberi credamus, ſiue obſeruationem a Salomone vere factam continere ſtatuamus, tamen, omnibus in partibus ad vitae humanae conſuetudinem compoſitam eſſe, negari nullo modo poteſt.

Huic narrationi in quatuor prioribus commatibus huius capitis repetitas admonitiones de praeceptis ſapientiae et virtutis divinae dilegenter obſeruandis praemittendas eſſe putauit, vt eo facilius iuuenum animi et munirentur contra impudicitiam et confirmarentur in caſtitatis ſtudio In explicatione prioris huius capitis noſtri partis, quae inde a commate primo vsque ad comma quintum procurrit, paucis obſeruationibus defungi licebit, maxime tamen ad verſiones antiquas ſpectantibus, cum ſit in ipſis verbis grammatice ſpectatis fere nulla difficultas.

V. 1. Amicum eſſe Interpretum veterum conſenſum in reddendis huius commatis verbis, cum ſint ita comparata, vt nemo non verum eius ſenſum perſpiciat, non eſt quod miremur. Tironibus vel nota eſt, et a Glassio in *Philologia Sacra* p. 314 edit. Dathii idoneis exemplis confirmata obſeruatio, quae h. l. parallelismo membrorum egregie comprobatur, verbum futuri temporis quandoque apud hebraeos pro imperatiuo accipiendum eſſe. Hac obſeruatione ducti hebraicum תִּצְפֹּן recte imperatiue verterunt *Alexandrini* (κρύψον) et *Vulgata* (*reconde*). Ex alia vero ſententiarum collectione in Verſione Alexandrina commati huic addita leguntur verba: υἱὲ τίμα τὸν κύριον καὶ ἰσχύσεις, πλὴν δὲ αὐτοῦ μὴ φοβοῦ ἄλλον, quae quanquam non ſunt a noſtro loco plane aliena, tamen nec neceſſaria. Noua vero ratione vſus eſſe videtur incertus huius ſententiae auctor voce ἰσχύειν, vt nempe ſignificationem *felicitatis et proſperi rerum ſtatus*, *quo aliquis fruitur* ei h. l. ſubiecerit; nam de corporis robore, vigore et valetudine cogitari h. l. profecto non poterit.

V. 1. In commate ſecundo nullus Interpretum recentiorum, quos euolui, veritatem lectionis receptae וְחִיֵּה in dubium vocauit, nec in verſionibus veteribus veſtigium variae lectionis apparet vllum. *Chaldaeus* enim et *Syrus* retinuerunt ipſam vocem hebraicam (וְחִיֵּה ille, hic vero ܘܚܝܐ) *Vulgatus* (*et viues*) autem et *Alexandrini* (καὶ βιώσεις) futuro tempore recte h. l. vſi ſunt. Verbum ipſum per ſe ſpectatum commode quidem verti poteſt: *et felix eris*, ſeu: *et vitam tuam conſeruabis*,

bis, ſed ratione habita parallelismi ſententiarum, an vere ſcripſerit Salomo וְחַיֶּיךָ dubitari poteſt. Quum enim in poſteriore hemiſtichio voci וְחַיֶּיךָ verba reſpondeant כְּאִישׁוֹן עֵינֶיךָ, quibus *res quaeuis praecipue cara et in ſummo pretio habita* indicatur, videndum eſt, annon loco וְחַיֶּיךָ, vt habet nunc textus hebraicus impreſſus, reſcribendum ſit כְּחַיֶּיךָ *ſicut vitam tuam?* Vitam autem in litteris ſacris pro re vtiliſſima gratiſſima et iucundiſſima adhiberi neminem fugit.

V. 3. Verbis, quae commate tertio ſequuntur, dubium non eſt, quin Salomo ad vſum phylacteriorum apud Iudaeos receptum reſpexerit. Erant autem phylacteria, vt ſatis cuique notum eſt, membranulae, quas capiti non ſolum ſed brachio etiam et digitis alligatas Iudaei religionis cauſa geſtare ſolebant, et quibus ſingula praecepta diuina inſcribi ſolemne erat. Quae cum conſtet adhibita eſſe a Iudaeis memoriae adiuuandae, et pietatis erga Deum debitae declarandae cauſa (Vide *Nouum Lexicon graecolatinum in N. T.* a me editum, T. II. p. 1180) nec Salomonem verbis קְשָׁרֵם עַל־אֶצְבְּעוֹתֶיךָ aliud innuere voluiſſe quam hoc: *memori pectori conde praecepta divina, animo tuo ſemper obuerſentur, eaque ſemper vita tua exprimere ſtude*, ſtatuendum eſt. Hoc reſpectu eleganter vſus eſt h. l. Salomo verbo קָשַׁר, cui omnes interpretes veteres *ligandi* et *alligandi* notionem h. l. tribuerunt, ſolis *Alexandrinis* exceptis, qui, ſenſu fere eodem, in *circumponendi* (περίθες δὲ αὐτὰς σοῖς δακτύλοις) ſignificatione acceperunt. — — Ex altero huius commatis hemiſtichio colligi non plane incerta coniectura poſſet, habuiſſe Iudaeos Salomonis aetate etiam hanc conſuetudinem, vt ſchedis membranaceis *pectori praefixis* ſempiternae memoriae cauſa inſcripſerint praecepta quaedam divina e libris Moſaicis maxime memoratu digna. Nam ſi vel conceditur verba כָּתְבֵם עַל־לוּחַ לִבֶּךָ non proprie h. l. accipienda eſſe, tamen metaphorica dicendi ratio ipſa a more aliquo omnibus tunc temporis ſatis noto repetenda videtur, inprimis ob loca VI. 21. et III. 3. De vitio vero quod h. l. in verſionem Alexandrinam irrepſit, in qua pro πλάτος reponendum

eſt πλακὸς, iam ſupra eſt a me expoſitum ad cap. III. v. 2. in *Collationis Prouerbiorum Salomonis cum Bibliis Polyglottis Londinenſibus et Hexaplis Origenianis Specimine* p. 18.

V. 4. Cum hominibus, ſi ſunt ingenui, parentibus, fratribus, et ſororibus nihil familiarius, nihilque magis affine et charius eſſe ſoleat, factum eſt, vt in linguis orientalibus fratrum, ſororum, et parentum nomine omnes res et perſonae ſignificentur, quibuscum nobis vel arcta eſt et intima familiaritas ac conſuetudo, vel quocunque tandem modo amore, ſtudio, vſu, et excercitatione, tempore adeo corporisque adfectionibus coniuncti ſumus. Quae obſeruatio, quam vere ſit a me prolata iam exemplis quibusdam demonſtrare animus eſt, non ſine reſpectu ad hunc noſtrum locum. Iobus in illo loco vbi miſerrimam ſuam ſortem ac conditionem deplorat et ſtilo ſublimiore deſcribit cap. XXX. 29. inter alia his verbis vtitur: אָח הָיִיתִי לְתַנִּים frater fui draconum h. e. vna cum draconibus ſeu aeque ac dracones loca deſerta et deſolata inhabitaui, et paulo poſt אח vocabulo רֵעַ interpretatur. Idem cap. XVII. 14. canit: לְשַׁחַת קָרָאתִי אָבִי אַתָּה אִמִּי וַאֲחוֹתִי לָרִמָּה nihil aliud declaraturus, quam, ſe iam eo redactum eſſe, vt mortem prae vita, putredinem et corruptionem prae vigore optare et exſpectare debeat. His exemplis e. V. T. deſumtis, quibus plura facile addi poſſunt, iam alia quaedam e Scriptoribus Arabicis adiungam, quae iam olim in ſchedulas meas ex ipſa librorum arabicorum lectione conieceram, quanquam nunc ex parte ea iam a SCHVLTENSIO occupata eſſe video. *Coran. Sur.* CI, 6. Cuius leues fuerint bilances mater eius erit barathrum هاوية. *Conſeſſ. Harir.* III. p. 146. vbi aliquis de ſe ad ſummam miſeriam et paupertatem redacto dicit: لقد امسيت اخا عيلة profecto factus ſum frater paupertatis. TEBLEBIVS in *Notis* ad *Conſeſſ.* V. vbi *frater peregrinationum* اخو سفار commemoratur, obſeruat Arabibus fratrem alicuius rei etiam omnem dici, qui in actione aliqua eſt aſſiduus, vt fratrem belli, qui creber eſt in eo, aut fratrem ſuſpicionis اخو الوهم qui eſt animo

animo admodum ſuſpicaci. *Prov. Meid.* 56. يرماه الله بليلة لا اخت لها immittet in eum Deus noctem, cui ſoror non eſt; h e. quae ſimilem non habet. Sed fortaſſe iam nimius fui in exemplis colligendis ad comprobandam obſeruationem ſupra a me prolatam hoc tantum conſilio, vt oſtenderem Salomonem verbis: אֱמֹר לַחָכְמָה אֲחֹתִי אָתְּ וּמוֹדָע לַבִּינָה תִּקְרָא exprimere voluiſſe eandem ſententiam et admonitionem, quam iam in prioribus commatibus variis tractauerat modis, et quae e noſtra dicendi ratione hoc modo enuncianda eſſet: omnibus viribus annitere, vt ſapientiae ac prudentiae verae praecepta ſemper animo tuo obuerſentur, tuamque vitam omni tempore regant et gubernent. Admodum vere diſcrepant in loci huius translatione *Vulgatus* et *Alexandrini* interpretes. Ille enim habet: *Dic ſapientiae, Soror mea es; et prudentiam voca amicam tuam;* hi vero tranſtulerunt: *εἰπὸν τὴν σοφίαν σὴν ἀδελφὴν εἶναι, τὴν δὲ φρόνησιν γνώριμον περιποίησαι σεαυτῷ.* Codice corrupto aut codice ſano male vſos eſſe Alexandrinos videmus, quorum verſioni ſi fides habenda eſſet verba hebraica וּמוֹדָע לַבִּינָה תִּקְרָא ita mutanda eſſent: וּמוֹדָע הַבִּינָה תִּקְנֶה. *Syrus habet*: ܘܡܘܕܥ ܠܒܝܢܐ ܬܩܪܝ quod male verſum eſt in *Bibliis Polyglottis Londinenſibus: et prudentiam vocato intellectum; nam* ܡܘܕܥܐ vt מוֹדָעָתָא, quo *Chaldaeus* h. l. vſus eſt, *affinem, cognatum, notum, familiarem* h. l. ſignificat, de qua tamen notione ſilet cum Castello et Schaafio etiam Michaelis.

V. 5. Qui eſt in hoc commate verſionum veterum a textu hebraico diſſenſus, facile tolli poteſt nec cauſas habet obſcuras. Priora verba לִשְׁמָרְךָ מֵאִשָּׁה זָרָה *Alexandrini* ita expreſſerunt: *ἵνα σε τηρήσῃ ἀπὸ γυναικὸς ἀλλοτρίας καὶ πορνᾶς.* Erraret grauiter, qui vocem *πορνᾶς* h. l. hebraico מְנֻכְרִיָּה reſpondere putaret, et neſcio quam variam lectionem fingeret, aut aliam cauſam huius verſionis in textu hebraico anxie reperire ſtuderet. Perſuaſum enim mihi eſt prorſus omiſiſſe Alexandrinos in verſione ſua vocem מְנֻכְרִיָּה vna cum *Syro* interprete,

interprete, qui h. l. iterum e verſione Alexandrina interpolatus eſſe videtur, et vtrumque vocabulum et ἀλλοτρίας et πονηρᾶς ad hebraicum זָרָה referendum eſſe, ita vt librariorum culpa duorum interpretum diuerſae verſiones vnius eiusdemque vocis mixtae h. l. et confuſae ſint, quorum alter receptam lectionem ſecutus fuit, alter vero, qui πονηρᾶς habet, רָע loco זָרָה legit. Quae coniectura ſi minus probaretur peritis harum rerum iudicibus, leui transpoſitione facta πονηρᾶς καὶ ἀλλοτρίας in textu graeco legendum eſſe ſuaderem, vt ἀλλοτρίας ad vocem מְנָכְרִיָּה pertineret. Nullo autem modo impetrare a me poſſum, vt credam potuiſſe vllum aliquem interpretem hebraicum נָכְרִיָּה voce πονηρὰ exprimere. Quod vero ad verba ἐάν σε λόγοις τοῖς πρὸς χάριν ἐμβάλληται attinet, quibus Alexandrini h. l. vſi ſunt ad hebraica אֲמָרֶיהָ הֶחֱלִיקָה vertenda, eos plane non ſollicitos fuiſſe de ſingulis vocabulis exprimendis, et voluiſſe potius perſpicuitati orationis paraphraſi quadam inſeruire, vel verbo monuiſſe ſatis erit. Nec verbis anxie inhaeſerunt *Syrus* et *Chaldaeus* Interpretes.

V. 6. Iam inde ab hoc commate, vt iam ſupra eſt a me monitum, initium capit narratio illa egregia vsque ad V. 23. procurrens, qua auctor noſter, non ſolum quam facile iuuenis blandimentis mulieris formoſae ſed impudicae capi, et ad atrociſſima quaeuis crimina impelli poſſit, ſed etiam quam miſere talis ſe ipſum perdat, et, vt verbis Salomonis vtar, vinculis et catenis peccati ad ſummam trahatur miſeriam, docere conatus eſt haud infelici ſucceſſu. Plerique quidem interpretes hanc narrationem eius generis eſſe putarunt, quod αἶνος vel ἀπολόγος graeci vocant, latini *fabulas*. Quae ſententia etſi per ſe minime eſt improbabilis, cum conſtet veteres ſapientiae ac prudentiae magiſtros haud raro vſos eſſe narrationibus rei fictae, quarum vtilitatem in imbuendis et conformandis auditorum animis vſu ſuo cognouerant, tamen hoc noſtro certe loco mihi non neceſſaria videtur. Quidni enim Salomo, quem conſtat omne tempus omnemque operam diligenter impendiſſe, vt vſu et obſeruatione rerum humanarum

ducibus

ducibus ſibi colligeret verae ſapientiae copias, h. l. rem vere factam, a ſe ipſo olim oculis obſeruatam, et quouis praeterea die redeuntem narrauerit potius, quam natam ingenio fictionem propoſuerit auditoribus ſuis? Diuerſa praeterea eſt narrandi ratio, qua h. l. vſus eſt Salomo, quaeque teſtem oculatum aperte prodit, ab illo dicendi genere, quo reliquos apologorum auctores etiam illos vſos eſſe videmus, quos ad vitae humanae conſuetudinem narrationes ſuas compoſuiſſe laudamus Nec hac obſeruatione detrahi putem aliquid laudibus, quibus iure ſuo Doederleinivs hunc locum ornauit. Siue enim vera ſiue ficta ſit narratio, ſemper bonus quisque et ſapiens admirabitur in hoc argumento admodum lubrico, vt verbis Doederleinii vtar, auctoris in dicendo venuſtatem et caſtitatem, in ipſa narratione artificium, varietatem vitamque imaginum, denique perſpicuitatem et vim admonitionis. Sed haec obiter. Iam conſilii noſtri memores de ſingulorum vocabulorum ſenſu disquiramus. — Vocabulum אֶשְׁנָב, quod praeter hunc locum ſemel adhuc occurrit Iudic. V. 28., in vtroque loco cum חַלּוֹן coniungitur. In vtraque voce explicanda cum admodum diligentes fuerint Interpretes, ſatis nunc conſtat חַלּוֹן *muri quamcunque aperturam ad lucis et aurae commeatum* indicare, nec commode de *feneſtris* quales nunc dicuntur explicari poſſe, quod, vt docuit Doctiſſimus Fabervs *Archaeologiae Hebraicae* p. 432, feneſtrae apud Iudaeos non plateas ſpectauerunt ſed atria. De priore voce אֶשְׁנָב nihil habeo quod addam eleganter aeque ac docte ad explicationem huius vocabuli olim male intellecti prolatis a duumuiris Doctiſſimis Lette in *Obſeruationibus Philologico criticis in auguſtiſſima Deborae et Moſis cantica* p. 168 et Fabero l. l. T. I. p. 438. Vterque iam recte notauit interpretum inſcitiam *feneſtrae* aut *cancellorum* notionem huic voci ſubiicientium, cum verbum arabicum شنب, quod *frigere* ſignificat, iubeat nos per אֶשְׁנָב *conclaue in ſuperiore parte domus poſitum, apertum, foribus tamen inſtructum, ſoli expoſitum, et ab omnibus fere lateribus aeri patens* intellegere, in quod ſecedere ſolebant Iudaei otio fruendi, aut ſomni

 capiendi,

capiendi, aut confabulandi et coenandi, interdum etiam prospectandi causa, quod in summis deliciis a Iudaeis habitum Doederleinivs latine optime *pergulam* vocari posse, vsu loquendi saltem mihi noto plane neglecto, existimauit. Nec abs re erit conferre hanc in rem elegantem *Dissertationem* Petri Zornii *de veterum hebraeorum hibernis et aestiuis domibus et diaetis* insertam Tom. II. *Musaei Bremensis* p. 395 ff. His praemissis et cognitis, a quibus vera huius commatis interpretatio pendere videtur, non difficile erit versionibus veteribus huius loci iustum statuere pretium. *Vulgatus* quidem interpres diligenter expressit verba hebraica ita, vt nihil omitteret nihilque adderet, sed ita vertit *(de fenestra enim domus meae per cancellos prospexi)* vt ipsi plane ignotam fuisse Archaeologiam hebraeorum statim appareat. Paulo melius nec tamen satis bene in explicando hoc loco versati sunt Alexandrini, qui habent: *ἀπὸ γὰρ θυρίδος ἐκ τοῦ οἴκου αὐτῆς εἰς τὰς πλατείας παρακύπτουσα.* Vocabulum enim *θυρὶς*, quo h. l. vsi sunt, *quamuis aperturam* notat *τὴν ὀπὴν μικρὰν* teste Hesychio, (confer. 2 Corinth. XI, 33.) adeoque aeque late patet ac hebraicum חלון. De verbis *εἰς τὰς πλατείας* ambiguum est et incertum iudicium. Aut enim exprimere voluerunt hebraica בְּעַד אֶשְׁנַבִּי (quod, si אֶשְׁנַב de *quouis loco ab omnibus lateribus aërem excipiente* explicaretur, quodammodo ferri posset) aut, quod mihi propius ad veritatem accedere videtur, omissis his verbis, quae vel non intellegebant vel lingua vernacula exprimere non valebant, ea sententiae magis exornandae causa addiderunt verbo נִשְׁקַפְתִּי. Quid hic praeferendum et elegendum sit, videant alii me peritiores. Illud vero certum est, eosdem Interpretes loco impressi נִשְׁקַפְתִּי vel נִשְׁקַף, vel quod magis probabile est נִשְׁקָפָה legisse, ita vt in hoc pariter ac sequente commate non de se sed de ipsa muliere meretrice, cuius mores descripturus erat, locutus fuerit. Est vero haec diversa ab impresso textu hebraico lectio, sive olim vere exstiterit in codicibus quibusdam, sive mero errori et oculorum lapsui Interpretum Alexandrinorum sit tribuenda, in hoc loco

eo

eo magis memorabilis, quo certius eſt eam vnice in cauſa fuiſſe, vt non ſolum in hoc noſtro commate בֵּיתוֹ in בֵּיתָהּ mutauerint, ſed etiam in ſequente commate, contra omnium codicum et verſionum auctoritatem et fidem, primam perſonam, qua vſus eſt Salomo, in tertiam refinxerint. Nam eos pro lubitu mutaſſe h. l. narrationem Salomonis minus probabile eſt. Nec tamen ſollicitanda mihi videtur recepta textus hebraici lectio, quam omnibus codicibus confirmari video. Quanquam enim *Syrus* interpres h. l. cum verſione Alexandrina plane conſentit, tamen ex hoc ipſo conſenſu nihil aliud elici poteſt, quam incertum illum corruptorem et interpolatorem Verſionis Syriacae vſum eſſe codice Verſionis Alexandrinae a noſtris non diuerſo. — *Chaldaeus* in fine huius commatis vocem דְּדִירָא *habitaculi* addidit, nullo alio conſilio, vt opinor, quam vt ſuffixum י in voce אֶשְׁנַבִּי exprimeret.

V. 7. *S. Venerab.* Tellervs in *Auctario Interpretationum Prouerbiorum Salomonis*, quod ad calcem *Commentarii* Schvltensii *in Prouerbia Salomonis* a Vogelio editi reperitur, p. 9, neſcio quam neceſſitatem vidit a textu maſorethico recedendi in hoc commate, quod ita vertendum eſſe iudicat: *intuebar hominem fatuum, animaduertebam inter incolas iuuenem vſu rerum et intellegentia deſtitutum.* Addit: "*Sunt nimirum filii h. l.* incolae vrbis, *et pro* פתאים *in ſingulari cum verſionibus legendum* פתאי, *qui deinde in numerum multitudinis forte mutatus fuit, propter accommodationem ad ſequens* פנים *indocte quaeſitam.* Niſi me omnia fallunt, Vir Doctiſſimus opinione, hac ratione parallelismum ſententiarum in vtroque membro optime reſtitui poſſe, ad hanc coniecturam minime probabilem delapſus eſt. Non obuerſabatur autem animo Viri Celeberrimi (nam plane eius elegantem doctrinam effugiſſe, quis ſuſpicaretur?) obſeruatio illa trita et nemini non notiſſima, parallelismum membrorum cuiusque periodi multos gradus et multam formarum varietatem habere, ac poeticam ſententiarum compoſitionem non ſemper duobus tantum membris ſynonymis abſolui. Interdum quoque tricolis vſi ſunt poetae hebraei, vt docuit Lowthvs *de poeſi ſacra*

hebraeorum Prael. XIX. p. 375 quae raro habent vltra duo parallela membra, et in quibus impar membrum, ſiue ab initio periodi ſiue in fine eius ponatur, ad reliquorum vtrumque referendum eſt. Huius quoque generis eſſe locum, quem nunc tractamus, ordo membrorum docet ita conſtituendus:

וַאֲרֶא | בַּפְתָּאִים
אָבִינָה | בַּבָּנִים
נַעַר חֲסַר־לֵב

Ex quo ſimul apparet, non ſolum recte ſe habere ex legibus poeſeos hebraeorum vocabulum פְּתָאִים in plurali numero, quem impugnauerat S. V. Tellervs, ſed etiam פְּתָאִים h. l. non de *fatuis* potius de *iuuenibus* explicandum eſſe, quae fuit propria huius vocis notio, in qua pariter ac in altera inde deducta graeco νήπιος reſpondet. Quam poſteriorem notionem me non vnice coniecturae cuidam felici debere, vt appareat, ne opus quidem erit ad linguam arabicam prouocare, in qua فتى notat *iuuenili aetate fuit*, ſed ipſos Interpretes veteres excitare ſufficiet. *Vulgatus* h. l. *paruulos* habet, *Syrus* ܛܠܝܐ, et ipſi adeo Alexandrini locis haud paucis voce νήπιος vſi ſunt, de qua vide dicta a me in *Lexico N. T.* T. II. p. 178 ſeq. Sed haec de ſenſu huius commatis ſufficiant, pergamus ad verſiones veteres, de quibus haec obſeruare liceat. *Vulgatus* interpres vocem בַּבָּנִים plane omiſit. Nimis obſcura eſt h. l. *Verſio Alexandrina* vaga et libera; quae tamen lucis aliquid foeneratur ex obſeruatione Doct. Iaegeri, qui monuit παρακύπτουσα cohaerere cum συναντᾷ v. 10. hoc modo: domo proſpiciens iſta mulier — — ſi quem adoleſcentulum oberrantem videt — — — ſolet ei occurrere. Fortaſſe tamen loco ὃν ἂν rectius legitur ὅταν. *Chaldaeus* vocem וְתַמֵּהִית *et admiratus ſum*, inſerit ante נַעַר praeter omnem neceſſitatem. *Syrus* autem vocabulum נַעַר in verſione ſua prorſus neglexit.

V. 8. Mire, ne quid grauius dicam, transtulit hoc comma *Interpres Alexandrinus*: παραπορευόμενον παρὰ γωνίαν ἐν διόδοις οἴκων αὐτῆς, καὶ λαλοῦντα; in qua nos ſatis iam asſuetos neglegentiae huius interpretis in translatione Prouerbiorum

Salomonis

Salomonis non tam moratur omiſſio hebraici בַּשּׁוּק, quod tamen omnes verſiones antiquae expreſſerunt, nec verba ἐν διόδοις οἴκων αὐτῆς, quibus hebraica יְרֵכָה בֵיתָהּ ſine dubio exprimere voluit, offendunt, (conſtat enim διοδος a ſimplici vocabulo ὁδὸς interdum plane nihil differre, vt Bielivs in *Theſauro Philologico* ſ. h. v. demonſtrauit) quam vltima formula ἡ λαλοῦντα ab interprete h. l. ad hebraicam יְצֻעָר explicandum poſita cruciauit et miſere vexauit ingenia interpretum. Ingenioſe in hanc formulam commentatus eſt Doctiſſim. Iaegervs. Primo non inepte monet λαλοῦντα in hoc loco, ſi quid omnino, certe ſignificare debere *ſecum aliquid murmurantem inepte* ſeu λαλοῦντα ἐν ταῖς ὁδοῖς σεαυτῷ vt *Ariſtophanes Equit.* v. 347. ſcripſit. Deinde vero cum hoc verbum vidiſſet nullam plane ſimilitudinem ſignificationis habere cum hebraico יצער, ſe loco λαλοῦντα ſcribendum eſſe πατοῦντα primo conieciſſe fatetur, ſed ſimul atque Grabii coniecturam, qui repugnante vſu loquendi ἀλῶντα reſcribere volebat, legerit, ſententiam ſuam mutaſſe et ἀλύοντα *oberrantem* (Confer. Ernesti ad *Homer* Odyſſ. XVIII. v. 332.) iam veram lectionem in Verſione Alexandrina habere. Vt vero ſolent vel ingenioſiſſimi et doctiſſimi homines interdum quae ſunt in propinquo poſita non animadvertere, ita nec *Doctiſſimus* Iaegervs de facillima et ſponte ſe cuique offerente coniectura cogitaſſe videtur, qua ductus equidem Alexandrinos loco יְצֻעָר legiſſe וְצֵעֵק affirmare auderem. Et cum λαλεῖν etiam τῷ שָׁרַע *vociferari* Iſ. LVIII, 9. in verſione Alexandrina reſpendeat, quid impedit, quo minus ſumamus, Alexandrinos interpretes voce λαλοῦντα *iuuenem ebrium, a comeſſatione redeuntem et cantilenas foedas cantantem* deſcribere voluiſſe. Sed dent alii meliora. De forma grammatica vocis פְּנֹה copioſe diſputauit Olavs Domey p. 12 ſeq. *Strictararum Philologicarum, quibus radices et voces nonnullae ebraeae in lexicis vulgo deſideratae reſtituuntur. Vpſal.* 1757. 4.

V. 9. Accuratiſſime iam definiri a Salomone ipſum tempus, quo aedibus mulieris impudicae illius appropinquauerit miſer quidam iuuenis et incautus, nec quatuor illis loquendi

formulis, quas h. l. coniunxit, diuerſas temporis partes, ſed vnam tantum, diem nempe veſperaſcentem indicari, iam olim agnouerunt interpretes doctiſſimi, et laudarunt adeo iure meritoque dilegentiam Salomonis in definiendo hoc tempore, cum veſperam diei, vt ita dicam, plus noctis habere maioremque ad impudicitiam inuitationem ipſa mediae noctis caligine ſatis conſtet. Sed SCHVLTENSIVS, quem non adeo felici ingenio ad indagandas virtutes et elegantiam orationis poeticae praeditum fuiſſe nouimus, totus quippe etymologicae interpretandi rationi inhaerens, quatuor diuerſas diei partes h. l. definiri audacter affirmat, ita vt נֶשֶׁף, *crepuſculum matutinum*, עֶרֶב־יוֹם *veſperam diei*, אִישׁוֹן לַיְלָה *centrum noctis*, אֲפֵלָה vero *altiſſimam caliginem* ſignificare cenſeat. Quae eius opinio, vt iam ipſa rei natura refutatur, ita nec in ipſo loquendi vſu praeſidii aliquid habere videtur. Nam נֶשֶׁף longe frequentius de *crepuſculo veſpertino* quam *matutino* in litteris ſacris vſurpatur. עֶרֶב־יוֹם *tempus* indicare, *quod eſt ſtatim poſt occaſum ſolis*, vel tironibus notum eſt אִישׁוֹן, quod proprie *nigredinem illam, quae apparet in oculo* notat, eleganter vt de *tenebris* in vniuerſum, ita maxime de *primis tenebris quae ſequuntur occaſum ſolis* accipi poteſt, inprimis cum לילה non ſemper *noctem*, quam nos vulgo vocamus, ſed vt graecum νὺξ (Iohann. III, 2. et XIII, 30.) omnino *tempus veſpertinum* interdum ſignificare, vel e loco Geneſ. XIX, 33. 35. demonſtrari poſſit. Ex vltimo אֲפֵלָה argumentum petere ambiguitas, quae eſt in hoc ſubſtantiuo, prohibere videtur. Deſcendit enim ab אפל quod in vniuerſum notat: *occidit ſol.* Ambiguitatem autem illam, quam in ipſis verbis hebraicis latere ſponte agnoſco, facillime vero orationis ſerie tolli poſſe iudico, ſeruarunt dilegenter verſionum veterum auctores. *Vulgatus* enim habet: *in obſcuro, aduesperaſcente die, in noctis tenebris et caligine.* *Chaldaeus:* בְּרַמְשָׁא בְּמַעְרַב יוֹמָא בְּחֶשׁוֹכָא דְּלֵילְיָא וּבְחֵכִירָה. *Syrus:* ܒܪܡܫܐ ܒܡܥܪܒ ܝܘܡܐ ܒܚܫܘܟܐ ܕܠܠܝܐ ܘܒܚܝܪܐ. *Alexandrini* denique: ἐν σκότει ἑσπερινῷ,

ρινῷ, ἡνίκα ἂν ἡσυχία νυκτερινὴ καὶ γνοφώδης, qui, ſi recte iudicare valeo, non ſolum loco בְּעֶרֶב omiſſo עֶרֶב ב legerunt, ſed etiam אישון quod v. 2. et cap. XX, 10. κόρας verterunt, a יָשַׁן *dormiuit* deriuarunt, ſenſu ipſo tamen parum immutato.

V. 10. Maximam in hoc commate, vt omnes fatentur, difficultatem habet formula נְצֻרַת לֵב, quam cum viderent recentiores interpretes (inter quos MICHAELIS et DÖDERLEINIVM tantum nominare mihi liceat) non poſſe commode ad verbum verti (*cuſtodita* ſeu *ſeruata corde*, vt nonnulli olim admodum barbare eam verterunt) de *muliere callida et aſtuta, quae potens alios ſeducere, ipſa autem a nullo decipi potuerit*, praeeuntibus *Kimchio et Vatablo*, explicarunt. An vero ipſo loquendi vſu haec explicatio, a ſerie orationis quidem minime aliena, confirmari poſſit, equidem iure dubito. Tunc enim aut נָצַר τῷ *muniendi* notio ſubiicienda eſſet, quam tamen non habet, aut in *ſeruandi retinendi* notione accipiendum eſſet, quam tamen forma נְצֻרַת admittere non videtur. Igitur equidem loco נְצֻרַת legendum eſſe arbitror נִצֶּרֶת a נָצַר, quod ſiue *obſervare*, et ex adiuncto *inſidias ſtruere* (vnde נֹצֵר *cuſtodem, ſpeculatorem* haud raro notat.) vertas, ſiue *vincere, ſuperiorem euadere, victoriam reportare* ex vſu arabici نصر interpreteris, ſiue denique ei notionem *capiendi* (*Vulgatus: praeparata ad capiendas animas*) *auferendi* (Certe olim נָצַר notaſſe etiam *in captiuitatem abducere*, docet locus Iſ. XLIX, 6. vbi formula נְצִירֵי יִשְׂרָאֵל ab *Alexandrinis* ἡ διασπορὰ ἰσραὴλ, et *Chaldaeo* גָּלוּתָא יִשְׂרָאֵל explicatur) et *eripiendi* (*Chaldaeus* h. l. דְּמַפְרְדָא לְבָא דְעָלֵימוּ. *Alexandrini* נָצַר Pſalm LXIII, 1. CXXXIX, 4. Nahum II, 1. ἐξαιρεῖν tranſtulerunt) ſubiicias, tamen manebit hoc, formula נִצֶּרֶת לֵב *mulierem* indicari *omnibus artibus ad decipiendos iuuenes inſtructam, eosque non ſolum verbis politis ſed etiam habitu meretricio allicientem.* Et profecto omnes fere interpretes veteres *Vulgatus, Chaldaeus, Syrus*, et *Alexandrini* viderunt לֵב de ipſis animis iuuenum, quibus inſidiatur meretrix h. l. accipiendum eſſe, quorum auctoritate prolatam a me explicationem admodum confirmari cum voluptate quadam obſeruaui.

obſeruaui. De verſione *Alexandrinorum* et *Syri*, quia verba, quibus vſi ſunt, paululum obſcura ſunt, tantum quaedam adhuc addam. *Alexandrini* habent: ἡ ποιεῖ νέων ἐξίπτασθαι καρδίας. Fruſtra verbum ἐξίπτημι et ἐξίπταμαι, quod *euolare, auolare* notat, et praeter hunc locum non ſolum apud Alexandrinos Hoſea XI, 2. et *Siracid.* XLIII, 16., ſed etiam, vt Doctiſſ. IAEGERVS obſeruauit, apud *Heſiod.* ἔργ. v 98. et *Euripidem Electra* v. 943. reperitur, in STEPHANI *Theſauro l. Gr.* quaeritur. Vſi vero eſſe videntur Alexandrini hoc verbo in hac orationis ſerie, vt quam derepente et nullo plane temporis interuallo iuuenis amore meretricis deuinciatur oſtenderent. Non male itaque latinus interpres in *Bibliis Polyglottis Londinenſibus* verba Alexandrinorum ita transtulit: *quae facit iuuenum volare corda.* *Syrus* interpres habet: ܕܡܦܪܚܐ ܠܒܐ ܕܥܠܡܐ, quae non verti debuiſſent *diuellens cor iuuenum*, potius: *auolare faciens cor iuuenum.* Syriacum enim פרח notat *auolauit*, et in *Aphel auolare fecit*, vt idoneis exemplis demonſtrauit CASTELLVS in *Lexico Syriaco* p. 724 edit. MICHAELIS.

V. 11. Magna eſt et mira in explicandis prioris hemiſtichii vocibus הֹמִיָּה הִיא וְסוֹרֶרֶת, quibus deſcribuntur meretricis mores et ingenium, interpretum maxime antiquorum varietas, quorum praecipuos commemorare nunc liceat. *Vulgatus* dum vertit: *garrula et vaga*, *quietis impatiens*, non aliam lectionem ſequutus eſſe videtur, ſed primo recte הֹמִיָּה ab הָמָה *ſtrepitum edere* deriuauit, quod autem de ſtrepitu, quem edere ſolent mulieres garrulae et loquaces intelligendum eſſe putauit; deinde סרר תֹּף, a quo סוֹרֶרֶת deducendum eſſe videbat, non vulgarem notionem, *refractarium eſſe iugique impatientem*, quae in Lexicis vulgo traditur, ſubiecit, ſed ſignificationem *aberrandi a recta via*, *errandi*, *huc et illuc vagandi*, quam cum סור (*Alexandrini* ἐκκλίνειν Iudic. II. 17, et πλανᾶν Deut. XI. 28. XIII. 5.) communem habet, tribuit. Vltima vero verba *quietis impatiens* quod attinet, huc plane non pertinere arbitror, ſed meram gloſſam eſſe ex aliquo ſcriptore eccleſiaſtico verbis ſequentibus adſcriptam,

ptam, librariique culpa temere in textum receptam; de quibus glossis e Patrum scriptis petitis eleganter pro more suo et docte disputauit *S. Ven.* TITTMANNVS in *Programmate de Glossis N. T. aestimandis et iudicandis* p 13. sequ. *Alexandrini* habent: ἀνεπτερωμένη δὲ ἐστι καὶ ἄσωτος. Verbum ἀναπτερόομαι, quod praeter hunc locum in Versionibus Graecis N. T. non reperitur, beneque illustrauit MOLLVS ad *Longi Pastoral.* II. 4. p. 155. proprie quidem de *auibus* vsurpatur *huc et illuc volitantibus*, deinde vero vt latinum *volitare* eleganter transfertur *ad quamcunque animi exagitati commotionem*, et maxime de *iis* dicitur, *qui spe et desiderio alicuius rei feruntur*, (Confer. STEPHANI *Thesaurus L. Gr.* T. I. p. 1719.) bene et eleganter mihi h. l. ab Alexandrinis vsurpatum videtur, non solum de muliere, quae spe lucri erecta et insana libidine agitata ipsa obuiam venit iuuenibus, vt sui corporis ipsis copiam faciat, sed etiam ad exprimendum hebraicum הֹמִיָּה, cum ھـ-ـ-ـي in lingua arabica *aestuare* significet. Quid vero sibi voluerunt voce ἄσωτος, cui h. l. hebraicum סוֹרֶרֶת in textu respondet? Certi aliquid definire vix audeo. Hoc negari nullo modo potest ἄσωτον *mulierem luxuriosam et intemperantem* h. l. indicare. Tunc vero non סוֹרֶרֶת, sed זוֹלֶלֶת (collato Prov. XXVIII.) legerunt. *Chaldaeus*, si sana est lectio, vertit: וּמָרְדָתָא הִיא וּפָרִיעָתָא h. e rebellis est et obstrepens. *Syrus*, quem h. l. iterum e versione Alexandrina interpolatum esse sponte apparet, habet: ܐܬܝܢܐ ܘܡܬܚܙܝܢܐ. Vocabulum ܡܬܚܙܝܢܐ, vt iam recte explicauit *Castellus*, *petulantem*, *proteruum* notat, et ܐܬܝܢܐ est ipsum graecum ἄσωτος.

V. 13. Feliciſſime Interpretes veteres verum formulae הֵעֵז פָּנִים h. l. obuiae sensum nobis monstrarunt et auctoritate sua comprobarunt. Vsurpatur autem formula *obsirmare* seu *roborare faciem suam* de eo, qui impudente fronte et proterua facie aliquid dicere aut facere audet. *Vulgatus: procaci vultu blanditur. Alexandrini:* ἀναιδεῖ δὲ προσώπῳ προσεῖπεν αὐτῷ. *Chaldaeus:* וְאַחְצִיפַת אַפָּהָא. Confer. BVXTORFII *Lexicon Talmudicum*

dicum p. 814. sequ. *Syrus:* ܐܘܕܝܐ ܕܫܠܡܐ. Adde cap. XXI. 29. et *Deuteron.* XXVIII. 50.

V. 14. Humani aliquid passus est DOEDERLEINIVS, in *Scholiis* ad h. l. monens, perperam latinum addere *de salute* contra textum hebraicum. Recte enim expressit *Vulgatus* interpres hebraica וְזִבְחֵי שְׁלָמִים עָלַי verbis: *victimas pro salute voui.* Sunt enim זְבָחִים שְׁלָמִים *sacrificia eucharistica, quae offerebantur grati Deo animi testandi gratia;* et cum עַל in tali orationis serie *debiti* et *officii* notionem inuoluat (Confer. LVDOVICI *de Dieu Criticam Sacram* p. 12.) quam recte et vsui loquendi conuenienter h. l. verterit latinus interpres apparet. Eadem laus iustae interpretationis nec iure Alexandrinis deneganda erit, qui habent: θυσία εἰρηνικὴ μοί ἐστι; nam εἶναί τινι graecis eleganter *res* dicitur, *quae alicui incumbit.*

V. 15. Quocunque modo שַׁחַר in hoc nostro loco vertatur, sensus parum immutari, nec inepte constitui posse videtur. Hoc enim praeuideo ac spero, non facile fore aliquem interpretem, qui שַׁחַר in propria notione *mane ac in primo diluculo quaerendi aliquid* in hoc loco accipiat, vbi de colloquio ipso crepusculo vespertino habito sermonem esse negari nullo modo potest. Si vero discesseris ab hac propria et a nostro loco plane aliena notione, res eodem redibit, siue formulam לְשַׁחֲר פָּנֶיךָ cum *Vatablo* vertas: vt dilegenter quaererem faciem tuam, aut cum aliis explices: vt mature vultui tuo apparerem (tempestiue praeoccuparem faciem tuam) aut denique, quod mihi quidem reliquis interpretationibus praeferendum videtur, verbis: *tui desiderio ardentissimo ductus, amoreque flagrans*, exprimas. Omnes has notiones ab interpretibus formulae שַׁחַר פָּנִים subiectas confirmari ipso vsu loquendi et versionum veterum auctoritate negari non potest. Et vt de priore loco positis, ne multus fiam, quippe satis notis, nihil nunc dicam, hoc tantum obseruare liceat, non solum שׁחר in lingua chaldaica haud raro notare: *desiderio alicuius rei ferri,* quam in rem legisse et contulisse proderit loca a BVXTORFIO in *Lexico Talmudico* p. 2371. prolata, sed etiam eandem notionem

nem in omnibus verſionibus antiquis expreſſam eſſe, ſolo *Chaldaeo* excepto, qui h. l. miſere περιφράζει.

V. 16. Omnia fere vocabula, quibus h. l. vſa legitur meretrix illa, lectum ſuum elegantiſſimum omnemque ſplendidum ſuum apparatum, quem iuuenis delicatuli cauſa fecerit deſcriptura, incertam habent ac dubiam notionem, variisque coniecturis omni tempore locum dederunt, quas omnes cum diligentius examinare, nec limites iuſti Commentarii huius nec doctrinae meae copiae permittant, omiſſis reliquis, quid verſiones veteres ad huius loci ſenſum indagandum conferre poſſint, breuiter exponam. Primum quod ſe nobis hic offert vocabulum eſt מַרְבָדִים, quod praeter hunc locum ſemel tantum cap. XXXI. 22. reperitur, et neceſſario a verbo רָבַד deriuandum eſt, quod nuspiam alibi proſtat. Verbum רָבַב recte, ſi quid video, cum vſitatiore voce רָפַד comparatur, quod *ſternere, ſubſternere*, ſignificat; vt adeo מַרְבָדִים inde deductum στρώματα, *omnis generis ſtragula*, et *quicquid inſternitur vel lecto vel alii rei decoris et mollitiei cauſa* in vniuerſum notare ſit veroſimile. *Alexandrini* voce κειρίαι vſi ſunt, qua h. l. *funes et faſcias, quibus ſubtenditur lectus*, ſeu *inſtitas lectorum* vt vulgo appellantur (Vide *Interpretes Petronii* c. 97. *Suidas*: κειρία· εἶδος ζώνης ἐκ σχοινίων, παρεοικὸς ἱμάντι· ᾗ δεσμοῦσι τὰς κλίνας) indicari, partim ſatis e Verſione *Vulgata* intellegitur, quae habet: *intexui funibus lectulum meum*, partim vero idoneis argumentis docuerunt IAEGERVS ad h. l. et BIELIVS in *Theſauro Philologico* ſ. h. v. *Chaldaeus* adhibuit vocem תַּשְׁוִיתָא quod, deductum a שַׁוִּי *ponere, disponere, omne, quod fundamenti loco ponitur*, adeoque etiam *ſtragulum* notat. *Syrus* iisdem fere verbis vſus eſt, quae in *Chaldaeo* h. l. leguntur. In voce ἅπαξ λεγομένη חֲטִבוֹת aſſentior CASTELLO, qui eam explicat de *ſtragulis variis coloribus intertextis et acupictricum arte exornatis* a חָטַב, quod in lingua chaldaica *figuris aliquid exornare*, et in lingua arabica *variis coloribus intertexere* notat. Non male itaque *Vulgatus* transtulit: *tapetibus pictis*, et *Alexandrini* poſuerunt ἀμφιτάποις, qua voce ſignificantur teſte *Thoma Mag.* τάπητες

πητες ἐξ ἀμφοτέρων μαλλὸν ἔχοντες h. e. tapetes vtrinque villosi. Confer FERRARIVM de *re vestiar.* P. II. p. 29. *Syrus:* ܣܡܘܡܐ. ܣܡܘܡܐ, *operimentum*, *velamen*, *stragulam* notat a ܣܡ *induxit*, *superinduit*, *Chaldaeus:* וּבְקַרְמָא קַרְמִתָא מִצְרָאָה, quod male translatum legitur in versione latina *Bibliorum Polyglottorum Londinensium: et in tapetibus pictis de Aegypto. Chaldaicum* enim קַרְמָא *tegumentum* notat, et קַרְמִתָא est *obtexi, obduxi.* Vltimum denique vocabulum in hoc tantum loco obuium est אֵטוּן, de quo docte pro more suo disputauit MICHAELIS in *Supplementis* ad *Lexica hebraica* p. 68 qui dupplicem se pro dupplici etymo orientali ac extero significationem huius vocis offerre monuit, ita vt si graecum ὀθόνιον (quod tamen ab Aegyptiis et Graeci et Latini acceperint) conferas, *linum* significet, ad orientalem vero originem si referas de *funiculis* (collato chaldaico אטון) aut planius de *funibus ad latus lecti dependentibus* explicandum sit. Sed ex ipsa lingua chaldaica, ad quam prouocat MICHAELIS, haud incerta coniectura colligi posse videtur, אֵטוּן proprie *filum illud tenue, quod e lana linoue trahendo ducitur* significasse, deinde vero non solum ad *funes*, sed etiam per *metonymiam* ad *linteum ex filis contextum* translatum esse, quae posterior notio h. l. prae caeteris commoda videtur. *Alexandrini* ἔσρωκα vertentes cum *Chaldaeo* et *Syro* אטון pro verbo habuerunt, cuius tamen nulla in linguis orientalibus reperiuntur vestigia.

V. 17. Maxime notabilem nobis seruarunt lectionem variam Alexandrini interpretes, quam masorethicae praeferre nullus dubito. אֲהָלִים nempe, quod omnes interpretes de *Aloe* seu potius *Xylaloe*, Indiae arbore, *Agallocho* (de qua conferendus est *Ol. Celsius Hierobotan.* T. I. p. 135 et 171) intellexerunt, *cuius arboris lignum odoriferum carbonibus imponitur, vt odorem spargat*, Alexandrini verterunt: τὸν δὲ οἶκον μου, vt adeo eos אֲהָלִי vel וְאֲהָלִי legisse negari vix possit. Confirmatur vero haec noua lectio non solum ipso sententiarum parallelismo, eius ope ita restituendo:

נָפְתִּי

מֹד | מִשְׁכְּבִי
קְנָמוֹן | רַאֲהָלִי | נַפְתִּי

ſed etiam ipſo verbo נוּף quod *aſpergere*, *perfundere*, *irrigare* notat, adeoque de *agallocho*, cuius lignum comburi ſolet adhiberi non commode poterat. Codex KENNICOTTI 4 אהלות et DE ROSSI 554. ראהלות vterque a prima manu habet. *Syrus* autem *Chaldaeus* et *Vulgata* receptam lectionem tuentur.

V. 18. Suadet parallelismus ſententiarum, cuius leges ſcripſit LOWTHVS de *poeſi Hebraeorum* Prael. XIX, vt Atnach qui in impreſſis libris e maſorethica recenſione (quam h. l. *Chaldaeus*, *Syrus* et *Alexandrini* tuentur) ſub voce הַבֹּקֶר reperitur, ſub דֹּדִים ponatur, et verba ipſa hoc modo diſtinguantur:

לְכָה נִרְוֶה דֹּדִים
עַד־הַבֹּקֶר נִתְעַלְּסָה בְּאַהֲבִים

Et quanquam vix opus eſſet antiquitatis teſtimonio in re tam certa et indubitata, tamen non abs re erit vel verbo monere, praeiuiſſe hanc nouam diſtinctionem *Vulgatum* interpretem, in cuius verſione *(veni, inebriemur uberibus, et fruamur cupitis amplexibus, donec illuceſcat dies)* aeque ac in *Aquilae Symmachi* et *Theodotionis reliquiis* vocabula דֹּדִים *amores* et דַּדִּים *vbera*, h. l. vt Cantic. I, 2. permutata reperiuntur. — Verbum עָלַס quod vulgo quidem cum עָלַן *exſultare*, *tripudiare prae gaudio* confertur, vt in *Hitpael ſe inuicem excitare ad exſultandum* ſignificet, rectius ex meo quidem ſenſu, arabico علس *noctem egit* ſeu *transegit* in auxilium vocato, transfertur. Veteres Interpretes hanc veram vocis notionem ignorantes meris coniecturis vſi eſſe videntur. *Vulgatus: fruamur. Alexandrini:* καὶ ἐγκυλισθῶμεν ἔρωτι. h. e. et implicemur mutuo amoribus. Male latinus interpres: et colluctemur cupidine. *Chaldaeus* habet: וְנֶעֱסֹק חַד לְחַד בְּרִגְאוּתָא *Chaldaicum* עסק *operam dare, vacare, incumbere* notat. De vltima voce confer. BVXTORFII *Lexicon Talmudicum* p. 2198. *Syrus* voce ܚܒܩ vſus eſt, quae *amplexari* ſignificat.

V. 19. Solus *Vulgatus* ſequutus eſt h. l. textum maſorethicum. *Alexandrini* (ὃ γὰρ πάρεστιν ὁ ἀνὴρ μου ἐν οἴκῳ) et

ex iis interpolatus *Syrus* non tam aliam lectionem sequuti esse mihi videntur, sed sensum liberius expressisse, quod contra VOGELIVM moneo, qui vtrumque interpretem אִישִׁי בְּבֵית legisse coniecit. Idem quoque contenderem de *Chaldaeo* interprete, qui בְּבֵיתוֹ omisso suffixo בְּבֵיתָא vertit. Ingeniosa caeterum est coniectura VOGELII, qui ex Chaldaeo, qui ipsi veram conseruasse lectionem videtur, argumentatur suffixum ו in voce בְּבֵיתוֹ additum fortasse esse ex verbo sequente, vt nempe loco הָלַךְ in sequentibus וְהָלַךְ legendum sit. Sine suffixo etiam habet codex 554. DE ROSSI.

V. 20. לְיוֹם הַכֵּסֶא. Haec formula, quot inter recentiores nacta est interpretes, tot quoque diuersis est explicata rationibus. Nimis vage alii de *tempore constituto* interpretantur, alii vero de *tempore certae solemnitatis* — alii de *nouilunio*, deriuantes a כָּסָה *abscondit*, quod tum luna se abscondat — de *Scenopegia* alii ex vsu Syriaci ܟܣܐ — alii denique de *interlunio* cogitarunt. Eadem sententiarum diuersitas quoque in versionibus antiquis reperitur. Sic v. c. *Vulgatus* habet: *in die plenae lunae*, et *Chaldaeus* לְיוֹמָא דְעִדָּנָה, h. e. *tempore conuentus publici*, seu *festi solemnis*. Sensus formulae huius, vt mihi quidem videtur, in hoc saltem loco definiri non ita poterit, vt nullus plane dubitandi locus relinquatur. Assentior itaque *Alexandrinis*, qui habent: δι' ἡμερῶν πολλῶν, et *Syro* qui vertit: ܡܢ ܝܘܡܬܐ ܣܓܝܐܐ *et post dies multos*. Quae explicatio non solum bene conuenit contextae orationi, sed etiam voce arabica ڤشا *extensum remotum esse* confirmatur. כ autem hebraeorum saepe in lingua arabica in ڤ transit, quod e voce שָׁפָךְ apparet, pro qua arabes non solum vocem سفك sed etiam سفق vsurpant.

V. 21. Quae est in hoc commate Versionum veterum a textu hebraico discrepantia, ea non tam diuersis lectionibus, quas forte secuti fuerint, quam vagae et coniecturali interpretandi rationi, cui haud raro earum auctores indulsisse constat, tribuenda erit. Sic v. c. הִטָּתוֹ, h. e. *animum eius inclinauit*

nauit ad turpem congressum, *Vulgatus* vertit: *irretiuit* sensu quidem eodem, diuersa tantum imagine. Reliqui interpretes *Alexandrinus*, *Chaldaeus* et *Syrus* verbo נטה notionem *declinandi*, *aberrandi a recta via* tribuerunt, quam multis in locis habet — Formula בְּרֹב לִקְחָה dupplici ratione explicari posse mihi videtur, vel vt לֶקַח, h. l. *sermonem orationem* significet, quam notionem (temere in dubium vocatam a *Cel.* Arnoldi in *Symbolarum ad rem exegeticam et criticam V. T.* P. I. p. 17) sequuti sunt, h. l. *Vulgatus (multis sermonibus.) Alexandrini* (πολλῇ ὁμιλίᾳ) *Chaldaeus* (בְּסוּגְיָא דְמִלָּהָא) et *Syrus* (ܒܫܘܓܝܐ ܕܡܠܬܐ); vel vt de *blanditiis et prauis artibus*, *quibus alliciebatur et trahebatur iuuenis ad crimen* explicetur, quae fuit Arnoldi in l. l. sententia. לֶקַח enim haud raro de *feris*, *quae irretiuntur* vsurpari satis constat, et ab arabico لحف, quod prorsus cum hebraico לֶקַח conuenit, deriuari substantiuum لحفة, quod *technam subtiliorem*, *qua quis capitur*, *philtrum*, *fascinum* significat, Golivs testis est. Sequens vocabulum בְּחֵלֶק *Alexandrini* ἐν βρόχοις vertentes, non legerunt בחבל, quae fuit Vogelii coniectura, sed voce βρόχοι ideo vsi sunt, vt *vim*, *blandimenta et illecebras* meretricis efficaciore vocabulo exprimerent.

V. 22. et 23. Non vno modo tentatus est hic locus, quem inter difficiliora totius libri loca referendum esse, non solum communis interpretum sententia fuit omni tempore, sed etiam ipse dissensus auctorum versionum antiquiorum, quae aetatem tulerunt nostram, indicare videtur. Effecit autem virorum doctorum magni nominis dilegentia, inter quos praeter Doederleinivm in *Scholiis* ad h. l. maxime Cl. Arnoldi (in *Symbolis ad rem criticam et exegeticam V. T.* P. I. p. 18 seq.), Koehlervm (in *Repertorio Eichhorniano bibl. et orient. Litter.* T. XVI. p. 117) et Dathivm (in *Programmate de ratione consensus Vers. Chald. et Syr. Prouerbiorum Salomonis* p. 5) nominasse et laudasse sufficiat, vt iam nouam ac faciliorem nec incertam hunc locum explicandi rationem promittere, et virorum doctorum iudicio submittere non dubitem. Vt autem

ordine

ordine quodam procedat omnis noſtra diſputatio, et ab omnibus intellegatur neceſſitas, hunc locum vberiore illuſtrandi commentario, a collatione diligentiſſima verſionum veterum cum textu hebraico initium facere mihi liceat, quo facilius lectores quaſi in rem praeſentem deducantur. Sermo eſt, vti conſtat, de iuuene artibus amatoriis blanditiis orationisque illecebris callidae meritricis ita decepto et allecto, vt iam ſummo ſtupore et vere ferino impetu eam ſequatur, et pronus in ſummam miſeriam et perniciem ruat. Multus fuit Salomo et admodum artificioſus in deſcriptione talis miſere decepti et impudentis iuuenis, et variis iisque ad vitae humanae conſuetudinem effictis imaginibus pro more ſuo vſus eſt, vt nempe augeret vim et efficaciam admonitionum, quas omni narrationi ſuae in ſequentibus addit. Sed ipſum Salomonem loquentem audiamus.

הוֹלֵךְ אַחֲרֶיהָ פִּתְאוֹם כְּשׁוֹר אֶל־טֶבַח יָבוֹא
וּכְעֶכֶס אֶל־מוּסַר אֱוִיל.
עַד יִפַּלַּח חֵץ כְּבֵדוֹ כְּמַהֵר צִפּוֹר אֶל־פָּח
וְלֹא יָדַע כִּי בְנַפְשׁוֹ הוּא.

פִּתְאוֹם quod *Vulgatus* recte *ſtatim* transtulit, Alexandrini κεπφωθεὶς reddiderunt. Non intellexit hanc vocem latinus interpres in *Bibliis Polyglottis Londinenſibus* vertens: *infatuatus*, nec IAEGERVS, qui Alexandrinos bene ſeruaſſe *pelliciendi* et *decipiendi* notionem verbi פָּתָה, vnde illud deriuandum ſit, ad h. l. obſeruat. Κεπφόομαι recte deducitur a BIELIO a ſubſtantiuo κέπφος, quo, *Heſychio* teſte, deſignatur εἶδος ὀρνέου κωφοτάτου περὶ τὴν θάλασσαν διατρίβοντος, ὁ εὐχερῶς ὑπὸ ἀνέμου μετάγεται, vnde homo leuis et velox per metaphoram graecis κέπφος quoque dicitur eodem Grammatico obſeruante. Κεπφωθεὶς itaque Alexandrinorum eſt h. l. aduerbialiter ſumtum *velociter, in modum cepphi, auis marinae leuiſſime volitantis,* (*Suidas* κεπφωθεὶς, ἐπαρθεὶς, ὀξέως ἐλαυνόμενος) nec eos פְּתָאִים aut פֶּתִי legiſſe ſtatui poteſt, quae tamen fuit interpretum quorundam ſententia. *Chaldaeus:* שְׁלִיאָיוּת, *repente, ſubito.* *Syrus* ſolus h. l. a textu maſorethico receſſit, nam habet: امر هصا,

tanquam

tanquam puer, imperitus infans, vt adeo eum aut כְּפֶתִי legiſſe, aut graecum κεπφωθεὶς, quod interdum quoque *ſtultum, qui facile decipi poteſt*, teſte *Heſychio* ſignificat, exprimere voluiſſe ſtatuendum ſit.

אֶל־טֶבַח. Ambiguitati, quae eſt in ſubſtantiuo טֶבַח, quod non ſolum *lanienam*, ſed etiam *ipſam mactationem et mactandi actum* ſignificat, interdum adeo *animal mactatum* ſeu *mactandum* notat, tribuendus eſſe videtur diſſenſus interpretum veterum in transferendo hoc vocabulo in linguam vernaculam. *Vulgatus: ad victimam. Alexandrini:* ἐπὶ σφαγὴν. *Chaldaeus:* טִבְחָא, quod male Buxtorfius *mactationem, iugulationem* vertit, haec enim chaldaice טִבְיְחָא dicitur, cum potius reddendum fuiſſet; *macellum. Syrus:* ܠܘܬ ܛܒܚܐ *ad lanionem* niſi reſcribendum eſt ܠܘܬ ܡܛܒܚܐ, h. e. *ad mactationem.*

וְכָעֶכֶס. Semel praeter hunc locum Ieſ. III, 18. occurrit vocabulum עֶכֶס, vbi tamen *periſcelides* ſignificat, et inter *ornamenta pedum* refertur, ab עָכַס, arab. عكس *ligauit.* Hinc orta eſt mira illa quorundam interpretum verſio: *et ſicut compes ad caſtigationem ſtulti*, quam refutare non opus erit. Nullus vero interpretum veterum legiſſe videtur illud כְּעֶכֶס, quod quocunque modo vertas, nunquam tamen commodum ſenſum elicies. *Vulgatus* habet: *et quaſi agnus laſciuiens.* Suſpicor eum legiſſe וּכְכֶבֶשׂ עֹכֵס, et עָכַס τῷ ſubieciſſe h. l. notionem *exſultandi, tripudiandi prae gaudio*, quam ei iam aſſertam eſſe ab Huntio in *Obſeruationibus* ad h. l. ex Michaelis *Bibliotheca orientali et exegetica* P. IX. p. 136 me didiciſſe lubens profiteor, et iam olim ei tribuit *Symmachus*, qui ipſa voce σκιρτᾷν, hac in re propria, h. l. vſus eſt. Fortaſſe tamen *Vulgatus* ſimpliciter עֹכֵס legit, et ſubſtantiuum, *agnus* de ſuo addidit, quia עָכַס vt graecum σκιρτᾷν κατ' ἐξοχὴν de *agnis laſciuientibus* adhiberi, ignorare vix poterat. Solet autem hic interpres interdum ſenſus cauſas aliquid addere, vt ſtatim in ſenquentibus voces *ignorans* et *trahatur*, quibus nihil in textu hebraico reſpondet, inſeruit. Quae verba etiam in

 cauſa

caufa fuerunt, vt DOEDERLEINIVS eum plures iungere voluiffe interpretationes arbitraretur. *Alexandrini* vertentes: ὥσπερ κύων, legerunt כְּכֶלֶב cum *Syro* et *Chaldaeo*, vnde quoque non affentiri poffum DOEDERLEINIO, qui lectionem ὥσπερ κύων ortam effe ex lectione ὡς σκιρτῶν, et hanc illius loco reponendam effe arbitrabatur.

אֶל־מוֹסַר. *Vulgatus: ad vincula. Alexandrini:* ἐπὶ δεσμὰς. *Chaldaeus:* לְאִסּוּרָה. *Syrus:* ܠܐܣܘܪܐ. Hi omnes interpretes non אסור ex coniectura DATHII, fed מוסר legerunt, quod plerumque in plurali numero in codice Hebraico legitur.

אֲוִיל. Solus *Vulgatus* fecutus eft textum maforethicum, qui in hac voce fine dubio vitiofus ad noftram aetatem pervenit. Reliqui interpretes omnes *Alexandrini Chaldaeus* et *Syrus* non folum כְּאַיִל legerunt, fed etiam, et vti arbitror rectiffime, cum fequenti commate hanc vocem coniunxerunt, omiffa tamen particula עַד, quae tamen a folo Vulgato expreffa, an vere defuerit in codicibus, quibus vfi funt *Alexandrini Syrus et Chaldaeus* interpretes, aut potius ab iis fenfus caufa neglecta fuerit, definiri vix poteft.

Reliqua verba interpretes veteres ad veritatem hebraicam exprefferunt, non anxie quidem fingulis verbis inhaerentes, nihil tamen proferentes, e quo numerus variarum lectionum codicis hebraici iure augeri poffit. Abfoluta iam collatione verfionum veterum cum textu hebraico, et omiffis virorum doctorum de hoc loco dubio ac difficili coniecturis, iam eam proponam explicandi rationem, quae mihi quidem faepius hunc locum verfanti ac tractanti vero maxime accedere hucusque vifa eft, maxime eo confilio, vt, an aliorum quoque grauiffimo iudicio fatisfaciat, cognofcam. Huc vero redit mea qualiscunque de hoc loco fententia. Pleraque verba hebraica, quae habet in priori maxime commate textus maforethicus, admodum corrupta effe et male diuifa negari poffe non arbitror. Maxime me male habet illud פִּתְאוֹם, quod fequenti comparationi nullo modo conue re mihi videtur. Lento enim greffu incedit

incedit bos, qui ad mactationem ducitur, et tamen פִּתְאוֹם *celeritatis* et *cupiditatis* notionem inuoluere agnouerunt cum DOEDERLEINIO ad vnum omnes interpretes. Nec ferri potest illud כְּעֵכֶס, cuius loco כְּעֵכֶס *tanquam vinctus* (Confer. cap. XXXI, 21.) reponendum, et מוֹסַר in *carceris* significatione legendum suaderem. Eodem iure mihi concedi posse arbitror nullam versionum veterum ita emendatum et correctum nobis reliquisse textum hebraicum, vt reliquis commode carere possis, ex omnibus potius eas in textum recipiendas esse lectiones, quae parallelismo sententiarum maxime conuenire videantur. Et ita nullus dubito versionum antiquarum ope et auxilio adiutus omnem locum ita restituere.

a. הֹלֵךְ אַחֲרֵיהָ פִּתְאֹם

c. כְּשׁוֹר | אֶל | טֶבַח } יָבוֹא

d. וּכְעֶכֶס | אֶל | מוֹסַר }

e. כְּאַיִל | יְפַלַּח | חֵץ | כְּבֵרוֹ

f. כְּמַהֵר | צִפּוֹר | אֶל | פַּח

b. וְלֹא יָדַע כִּי בְנַפְשׁוֹ הוּא

Vltima vero verba littera b. insignita, rectius ad iuuenem quam ad animalia, cum quibus comparationem instituerat, trahi, vel singularis numerus, quo Salomo h. l. vsus est, euincit.

V. 24. Obseruarunt dudum viri docti, et exemplis idoneis probarunt numeri mutationes admodum frequentes esse in stilo sublimiore Hebraeorum, vt adeo turpiter se daret, qui in talibus locis textum hebraicum ipsum corruptum et mendosum esse suspicaretur. Non potuerunt tamen multa illa exempla enallages numeri in litteris sacris obuia impedire, quominus *Alexandrini* et *Vulgatus* verba pluralis numeri a Salomone h. l. vsurpata in singularem mutauerint, decepti sine dubio sequente commate 25 (de quo conferendus est DE ROSSI in *Variis lectionibus V. T.* Vol. IV. p. 92) in quo ad singularem numerum iterum rediit auctor noster.

Sed,

Sed, ne iuſtos commentationis limites transgrediamur, filum hic abrumpendum et veniendum eſt ad eam rem, cuius cauſa haec a nobis ex more et inſtituto maiorum ſapienti praemittenda erant. Indicenda vero ſunt vobis ſacra paſchalia, quae vt ſancte et pie celebretis, et non ſolum beneficiorum, quibus Deus, dum I. C. Saluatorem noſtrum e morte ſuſcitaret, vos quoque affecit, magnitudinem et indolem dilegenter conſideretis et perpendatis, ſed etiam Oratoribus ſacris, qui vos officii veſtri commonefacient, aures praebeatis beneuolas, vosque tot ac tantis beneficiis non plane indignos eſſe re et factis demonſtretis, peramanter ac ſerio vos monemus et hortamur.

P. P. in Vniuerſitate literarum Goettingenſi. Vig. Paſch. MDCCXCIII.

urn:nbn:de:urmel-70354675-135e-4099-9650-b551f4c72264-00020683-280